

3149. 0

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

DE

PLEVRITIDE,

*ex Epitome Praxeos Clinicæ*

GEORGII WOLFFGANGI  
WEDELII,

HEREDITARII in Schwarza/

MEDICINAE DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,  
SERENISS. SAXONIÆ DUCVM CONSILIARI ET ARCHIATRI,  
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARI,  
FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANI,

EODEM PRÆSIDE,

PVBLICÆ PHILIATORVM DISQVIVISIONI SVBMISSA

<sup>a</sup>  
M. CHRISTOPHORO LE CERF,

MOENO - FRANCOFVRTANO,

IN AVDITORIO MEDICO,

HORIS CONSVETIS,

A. D. AVGVST. ANNO M DCC XIV.

I E N Æ,  
LITERIS KREBSLANIS

Pathol. spec.

588,70

*Mbispic. 2409*



VIRIS

*Illustri, Magnificis, Nobilissimis,  
Excellentissimis, Consultissimis,  
Prudentissimis,*

DN. PRÆTORI,

DNN.

CONSVLIBVS, SCABINIS, SYN-  
DICIS, SENATORIBVS,

INCLVTÆ AC LIBERÆ IMPERIA-  
LIS REIPUBLICÆ

FRANCOEVRTENSIS AD MOENVM

GVBERNATORIBVS & MODERATORIBVS,

*Patriæ Patribus Vigilantissimis,*

DOMINIS ET PATRONIS SPECTA-  
TISSIMIS,

Dissertationem hanc Academicam  
submissa animi deuotione

*offert ac consecrat*

M. CHRISTOPHORVS LE CERF,

MOENO - FRANCOEVRTANVS.





I. N. I.

# PRÆFAMEN.



Ullus fere inter affectus acutos est, qui magis videtur exhaustus, & in quo felicius famæ suæ consulere potest medicus, & si optio detur, curatus sit facilius, apta remedium congerie, quam pleuritis; optandum hinc, ut similiter in omnibus reliquis medicis ad certam conclusionem possent

perduci.

Si medicorum antesignanum, *Coum*, consulamus, vix alium clarius & largius inquisuit, & delineavit passim, quam hunc ipsum, clinica imprimis methodo; ex quo patet, crebrioribus experimentis & observationibus etiam in hoc inclaruisse.

Consideranda vero & h. l. in praxi clinica, ad eisdem ductum, sunt potissimum duo (1) quomodo in ægro decumbente cognoscenda, (2) quomodo curanda sit pleuritis. Hinc circa illam not.

*An doleat latus thoracis alterutrum, dextrum vel si-*



nistrum, aliquando etiam utrumque; seu an dolor adsit, & quidem lateraliter magis, idque in thorace. Distinguendus enim & dolor est a dolore, in genere, & ratione loci, alius h. l. est thoracis, alius hypochondriorum, seu sub costis nothis, quem vulgo sæpe confundunt. Alius est in pleuritide vera & exquisita, alius in spuria, de quo mox.

Vera pleuritis oritur ab humore, ab inflammatione, spuria vero & a flatu. Vera est in pleura, notha in musculis intercostalibus; illa grauior est, hæc mitior longe, & sic minus acuta.

Referrî huc potest a quibusdam *pleuritis flatulenta* dicta, infantum seu puerorum, quam vocant Germ. *das Herzgespan*, ubi conueniunt itidem resoluentia. Solent etiam, ut obiter id addamus, a costis leniter prius inunctis consulto hypochondria comprimi. Hinc pinguedine aliqua, v. g. humana, ad id vtuntur, vel unguento cardiaco; rubro potabili mulierculæ nostræ illinunt infantibus scrobiculi cordis regionem.

Cumque proprium hoc sit symptoma pleuritidis & primarium, dolor puta, *Seitenstechen*, primo loco merito ponitur. Hinc porro not. *qualis sit hic dolor, an acutus, punctorius*, vnde etiam telum audit, iam dudum nota spinæ mechanica, licet sub alio nomine; an *magnus*, an *paruus*, an *grauans* potius & *minor*, qualis in peripneumonia magis sentitur & obseruatur. Omnia vero grauiora in exquisita magis obseruantur, miæora in spuria.

An *dolor magis vel minus equalis*; an *inter respirandum*, & *inprimis inter tussendum*, *exacerbetur*; quatenus sic quatiuntur satis latera pleuræ neruæ, dolentis & affectæ.

An



An dolor hic sit constans; transitorius enim dolor sæpe fit aliunde, vt a laboribus, a conatibus, nisu fortiori, beben, a defluxionibus ipsis, a contusionibus &c. An desinens intempestiue. Talis in vera pleuritide, & silens quasi sine causa manifesta, hinc malum præbet omen, notat enim archeum succumbere, & instare quandoque deliria quoque.

An febris adsit, eaque acuta & continua. Si itaque æger conqueratur, se horruisse leuiter cum calore, vt in febribus aliis, subsequo, dolere alterutrum latus thoracis &c. de pleuritide cogitandum est.

Quomodo habeat respiratio, in qua omne momentum prognoseos, salutis puta, & curationis, positum est. An respiratio sit difficilis, potissimum in principio, intensiue vel extensiue; an magna, an parua & exigua, an anxiosa, crebra. Signum proprium & essentielle pleuritidis est respiratio, quæ si bene habet, etiamsi cætera signa mala adsint, minus desperandum. Et contra ea male hac ipsa habente, quantumuis calor & pulsus spem aliquam facere videantur, malum.

Vidimus sic communibus talibus signis bene habere visum, minus respiratione constante & respondente, etiamsi surgere posset, & in actionibus animalibus non æque impeditum, mortuum tamen, vt & prædiximus. Verbo, vnica salus sita est in respiratione & expectoratione.

An tussis adsit, quæ ipsa quoque est essentielle signum pleuritidis, & quidem sicca in principio, hinc humida, seu cum materia; hoc ipso velut experimento ducendo argumento, fieri id per gradus, & non tam pulmonem affici *πρώτως*, quam symbolice, non absolute.

Quale sit hoc sputum, quod medicus maxime omni-



um considerare debet, & respirationem sic determinare ac explicare. An sit coloratum, vel non, imprimis, an simul cruentum, seu sanguine tinctum, non vero pure sanguineum, spumofum, adeoque longe aliud quam in hæmoptysi. Imo illud ipsum optimum est, seu sponte, seu, medicamentis debitis adhibitis, sese offerat, *Ἀνελευσιον* quandam fieri innuens; vnde id & quæri potest, & prædici quoque non raro, dato medicamento.

An *ραικνιτ* sit, an nullum omnino; hoc ipsum enim præbet quoque simul *πέπασμῶν*, seu coctionis, maturationis, & e contrario cruditatis signum, cum aliis. Itaque tussis præsentia omnino necessaria est, eique coniunctus modus, seu *πέπασμός*. Sin vero sputum absit plane, signum est cruditatis extremæ.

An sit sequax facile, seu an fiat cum *ευφορία*, tolerantia, an contra. An sit nigrum, quod notat cruditatem & corruptum statum sanguinis. An cum lenamine constanti, an cum difficultate exeat, & hoc quoque cum constantia. Expectoratio enim non debet desinere, sed continuari. Quomodo ergo succedat, an cum respiratione sublimi. Quando ægri non possunt decumbere, sed erecti spuerere coguntur, nec sputum egreditur & expectoratur debite, pessimum est; ut plurimum enim moriuntur suffocatione pleuritici. Pro tussis hinc ratione absentis v. g. etiam *ἀπτυσις* est, & dicitur malo omine.

An adsit ergo *πέπασμός*, seu, vt id repetamus, an sputum sit album, flavescentes, puri simile, non tenue, sed coctum, moderata & sequaci crassitie, id enim habendum est in bonis.

An strepitus adsit in pulmonibus, an stertor, & ranni ibi ducantur, *wenns kocht auff der Brust*, quod pessimum,



si perseveret, indicio, non posse materiam attolli, unde expectoratio quovis modo licito promouenda, metuenda alias suffocatione laudata, minante mortem.

*Quomodo habeat pulsus: an durus sit, an mollis; durus & tensius proprius est & pathognomicus pleuritidis exquisitæ, mollis respectiue magis in peripneumonia. An sit serratus; celer ordinarius est in feбри, serratus, qui modum duri dicit, inæqualitate, magis (1) est conuulsivus, (2) succumbentem naturam notat, & hinc in moribundis occurrit magis, neque tamen quotidie visendus æque est, & a peritis tamen concipi facile potest.*

*An pulsus sit frequens, a celeri bene distinguendus; an intermittens, quæ utræque differentia occurrit quoque. Frequens debilitatem, intermittens coagulum aliquod seu grumescentiam, in corde remoram quandam faciens, notat: neque tamen æque semper malus, quod aliquoties obseruauimus.*

*Quomodo habeat decubitus, an lateri affecto incumbere possit, an sano magis; quod ipsum variat, & utrumque interdum fit, pro diuerso gradu interioris contactus, tumoris, dum alii magis in latus affectum, alii, & frequentius quidem, magis in oppositum, alii in ventre facilius decumbere possunt. Prout nempe vel magis in musculos intercostales ipsos promouetur, eoque vergit malum: vel pleura intimius est affecta, ibique hæret, ac æger magis vel minus impatiens, angustia thoracis maior vel minor; ne de varietate habitus corporis & temperamentis dicamus.*

*Quodnam latus sit affectum, seu quo loco speciali sit dolor: an anticus, circa mammas; an dextrum, an sinistrum; parum vero huc fecerit cordis præsentia. An ad iugulum*



gulum & clauiculas vergat; quo magis vero vergit versus superiora, eo peius se res habet. An *posticus* sit magis, seu in dorso, quæ pleuritis dorsalis & superior peius vtplurimum affligit, & respectiue ægrum magis necat.

An *dolor sit constans*, an *ambulatorius*, quod etiam de peripneumonia valet; rarius vero est vagus, & ambulatorius, vtplurimum magis constans, & lateralis. Cæterum nota, in peripneumonia quoad dolorem omnia esse mitiora; in pleuritide ad extra, in peripneumonia ad intra omnia sunt maiora & grauiora.

An *peripneumonia*, an *pleuritide laboret ager*. Valet hoc tum a priori, quod ex gradibus patet, in peripneumonia dolor non adeo fortis, pulsus magis mollis, symptomata videntur primitus mitiora, in recessu vero maiora longe. Tum a posteriori, an *abeat pleuritis in peripneumoniam*, quod malum esse *Cous* dudum 7. *aphor. 11.* notauit, & ratio confirmat, materia a parte externa ad interiores pulmones conuersa.

An *pleuripneumonia*, seu media inter vtramque, adsit. Variat enim hoc pro diuerso gradu inflammationis, eiusque ambitus & diffusionis, prout item vel vnum latus pulmonis, vel vtrumque occupat. Videri de hoc, præter alios, meretur *Riolanus Enchir. anatom. patbol. t. 3. c. 4* cuius experimento in pleuriticis cadaueribus pleura siderata decuplo crassior fuit visa; ergo in se morbum continebat.

An in *causum*, seu febrim ardentem, *phrenitidem*, vel *empyema* abeat. Affectus enim hi sunt affines, symbolici & sæpius se insequentes, ex vna eademque radice oriundi, & in genere conuenientes.

An *seorsim pleuritis sit exquisita*, an *spuria*, ratione  
sub.



DE PLEVRITIDE. 9

subiecti, causæ & phænomenorum, ipsiusque gradus non vnius. Exquisita est illa, quæ habet pleuram affectam, & symptomata magis exquisita ac eminentia, spuria gradu mitior est. Spuria magis externa, fit quoque a defluxionibus seu *πνευματισμῶ* seri, & sui generis, mitiori, *von Flüssen*, vermibus etiam aliquando. Externa tactu exasperatur, interna non item.

An pleuritis sit *εὐήθης*, ἢ *κακῆθης*, benigna vel maligna; Pater id ex pulsu magis æquali, vel inæquali, & moris indicibus aliis, vires decoillant, febris subdola. An epidemia, an contagiosa, communiter grassans, pluribus communis; quæ faciunt ad curationem. Videri de his potest *Wierus in obseruat.* & *Sauonarola*, qui 1440. id obseruauit.

Quo tempore anni inuadat. Frequentius & ordinarie magis fit tempore hyemali, mense Decembri, Ianuario, Febuario, 3. *aphor.* 23. quando aeri frigido exponitur corpus, de quo *Vitruuius* quoque & *Aristophanes*, præter experientiam, legi possunt, idem testantes.

An cause prægressæ aliæ, ictus, casus ab alto, vulnus; an suppressio mensium, vel euacuationes aliæ consuetæ intermissæ, hæmorrhoidum, venæ sectionis &c. Hæc ipsa enim dispositiue possunt inuitare morbum, & sanguinis circulum abalienare. An errores diætæ hi illi, non vni, eodem vel alio tempore commissi.

An omnia coniunctim adsint signa, propria illa, ordinaria, pathognomica, quod maxime obseruandum; alias enim pro pleuritis non potest haberi, nisi collectiue laudata hæc adsint.

An abscessus thoracis alius, non pleuriticus proprie, adsit: an *pyæma*, *empyema*; an repetat, consuetam iam olim



lim; an *periodica*, an *minus*. Semel enim iam facta dispositione, seu debilitate fibrarum, pororum, & adfuetudine naturæ etiam rediisse visa sunt hæc talia, post sex, septem, item nouem annos aliquando.

An *Empyema* sibi relictum, a *priori*, an a *posteriori*. Illius indicium est, idemque colligitur, inter alia, si æger decumbens sentiat pulmones quasi imbibi, & immergi purulentæ materiæ, cum strepitu, vt surgere cogatur; hoc, si pleuritis non rite sit expurgata, quo de legi meretur *aphor. 8*: Qui pleuritide laborant, nisi intra dies quatuordecim superius repurgentur, iis in empyema mali fit translatio.

Vomicam adesse argui potest, si febris lenta magis adsit & chronica. Vidimus hoc in magno viro, in femina, in aliis. Abscessus vero pleuristici, cum iisdem seu similibus eidem phænomenis dignoscuntur, & ideo etiam fere minus sunt timendi, vt pote consueti. In pleuritide enim ordinariè pus saltim transitorie resorbetur in pulmones, & facta absterfione ac correctione hinc morbus abit, perfecte curatus. Quando vero ex hospite fit incola, & in pulmonibus acrimonia illa sedem figit, & nouam ulcerationem ipsis conciliat, phthisis præsto est. Noscitur id curatius, si perpendamus

*Quamdiu duret repurgatio seu ἀνακαθάρσις, ex tempore enim hoc regulanda hæc sunt, quæ de metu φθίσεως diximus, & Hippocrates in laudatis aphorismis habet. Pleuritis solet ad septem vel quatuordecim dies durare, more febrium acutarum. Si hoc superet, iis, per dicta, in empyema fit mali μεταστάσις, q. d. translocatio, transpositio in alium locum. Adeoque not.*

An sit vel fiat pleuritis producta. Si enim ulterius  
pro-



procedat pleuritis, non solum in empyema, verum etiam ad phthisin deurgit; id quod eleganter & velut per gradus quosdam scalares definit & determinat *CONS 5. Aphorism. 15.* qui ex pleuritide empyi fiunt, si a ruptione intra dies quadraginta sursum repurgentur, liberantur: alioqui transeunt in phthisin.

An *angina preuia* fiat *μετάστασις*, vox mali ominis, ad pulmones, an vice versa a pulmonibus sursum cum pleuritide coniungatur angina, siue illa pleuritis sit, seu peripneumonia potius, affectus symbolicus. Vti de priori agit *5. aphor. 10.* experientia confirmatus: Quibus anginam effugientibus ad pulmonem mali fit conversio, ii intra dies septem moriuntur; si vero hos effugerint, empyici euadunt.

Enimvero maxime inter se communicant febres inflammatoriæ, vt data vno loco vel viscere *φλεγμονή*, facile & alibi idem fiat; vti a morsu canis rabidi in cadaveribus obseruatum fuit, ne de inflammatione renum & aliis dicamus.

An in *fistulam thoracis versa*. Vti enim alia quoque vlcera terminantur in fistulas, seu constanter sedem figunt: ita & hoc casu idem fit, vel concipi potest; vt consequatur quasi fistula pulmonis ad intra, quamuis ad mortem facilius & citius tendens; vel ad extra quoque, qualem in viro consulari admodum chronicam vidimus, liberato sic pulmone a phthisi.

Quæ *symptomata alia adsint*, præter laudata propria, de quibus diximus: de communibus vero & accidentariis, vel extraordinariis quoque quibusdam, dicendum est, & addi potest.

An *dolor capitis*, qui ordinarie tanquam signum



commune comitans febris adest, ne de *inappetentia* dicamus; utrobique calore intemperato, non sui iuris existente, & inæqualitate sanguinis turbati, in motu intestino & locali.

An *sitis* eiusdem commatis, tum in principio, accensis caloribus seu incendii febrilis facibus: tum in progressu, abrasis quasi & absterfis magis faucibus, & siccitate sic inducta, ac linguæ asperitate; unde & fauces obseruandæ & curandæ simul sunt in progressu.

An *somnus adsit*, pacati magis motus spirituum & fluidorum index, nonnunquam & lymphæ spissioris simul, vel occupatorum spirituum; An *vigilia*, ob dolorem, ob tussim, ob febrim, ob respirationem difficilem, quæ singula inquietudinem pariunt, iudicandis etiam exinde gradibus morbi.

An *deliria*, quæ pessimum sunt signum, si grauiora sint, notant enim genus neruosum affectum. An *consequentia vigilias*. Minus curandum, si sint leuia, transitoria, intra somni initium, vel ab euigilatione, a causa communi orientur, cum aliis signis bonis, vel non adeo malis, & contra.

An *pauores adsint*, vel *motus conuulsiui*. Vtut enim dolores omnes aliquid præ se ferant spasmodici: serorsim tamen in pleura inflammata quoque id occurrit, & se exerit etiam. Pauores quidem minori gradu, motus conuulsiui maiori, vel ipsa epilepsia, longe pessima. Referri huc meretur 4. *aphorism. 66*: In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera vehementes dolores, malum; quia neruosum genus impensius laborat.

An *hemorrhagia narium*, quæ in principio magis fuerit tolerabilis, quia parte sanguinis dempta pars affecta

le-



levatur, præcipue si ægro sit consueta, & sic corpus dispositum & pronum magis. Iudicanda tamen hæc ex adiunctis aliis, nec ab externa causa, concussionem maiori thoracis adeo mala: pessima vero est oppressiva, & resolutiva in progressu, vel declinatione, incongrua magis suppuratione iam facta.

An *sudor*, & *qualis*. Criticus, uniuersalis, blandus & calidus, cum *εὐφορία* eueniens, bonus est, vel non nocens saltem, ratione febris & archei bene agentis, ac sese liberantis. Particularis vero coactiuus, anxius, frigidus malus omnino & suffocatiuus.

An *exanthemata coniungantur & emergant*, testimonio malignitatis; inprimis si cum angina, cum tumoribus aliis, petechiæ adsint vna, tanquam stigmata in coagulum & *κόσιν* maiorem tendentis sanguinis.

An *vomitus*, vel *diarrhoea*, quæ remotiora a morbigenio, & sic magis asymbolica, ac consequenter pessima fere symptomata. Pertinet enim huc *6. aphor. 16*: Pleuritide aut peripneumonia detento alui profluuium, seu diarrhoea superueniens mala, quia morbi magnitudinem, humorum acrimoniam & debilitatem archei significat, adeoque nominatim a resolutione.

*Rarius* vero paulo quasi critica, & sic iuuantia hæc sunt, per accidens tamen fere magis, depleta cacochymia, vel promota sic abscessus repurgatione, & excretionem. Factum hoc obseruauimus tamen interdum, quando abscessus versus diaphragma magis ad inferiora vergit, vbi purulentis sedibus conspicua fuit liberatio.

*Quomodo urina babeat*, directe quidem ratione febris, indirecte quoad abscessum, & communem statum corporis. Est vero & illa vt in febribus aliis attendenda,



quoad *colorem*, qui flauus biliosus est; quoad *sedimentum*, & *coctionis signum* vel *cruditatis*, tartarea magis vel minus. An *ad naturalem magis vergat*; & *remissior color*. An *pauca*, vel *copiosa*; an *inuise excreta*, & *dimissa*, quod minus bonum; an *cruenta*, vel *purulenta*: hæc melior, illa peior, nisi cæteris paribus & *critice quasi minus fiat*.

*Quomodo habeant oculi*, & *reliquum corpus*. An *oculi viridi*, blandi, consueti, non mutati, qui bonum sunt signum. An vero *torni*, *feroces*, *rubicundi*, *inflammati*, qui non item.

An *grauida sit agra*, ubi pro morbi acutie omnino grauior est status, & tum alias semper ad foetum respiciendum, tum in ordinanda venæsectione, argumento s. *apbor. 30. & 31.*

An *senex*, vel *mediæ ætatis*, vel *iunior*. Mediæ magis competit, 3. *apbor. 30.* vnde infra L. annum facilius euadere iudicantur. Vidimus tamen & seniores euasisse, nec adolescentes exemptos. An *alia* occurrant, vel coniungantur, singula suo modulo metienda & examinanda.

Præsupposito ergo, in pleuritide, a concepto fermento febrili *ὄργανώδεις*, circulo sanguinis circa pleuram læso, spinam ibidem infigi, & sic inflammationem seu febrim comitatam, seu inflammatoriam, non symptomaticam inferri.

Hinc I *συζοφῆ* illa, seu *quicquid conceptum est & extravasatum localiter, peregrinum, resoluendum, disticiendum & diuertendum est.*

Resoluunt, disticiunt, & diuertunt optime *diaphoretica*, seu generosa sudorifera, quæ omne absoluunt punctum, etiam sine sudore expresso, vel coactiuo. Et quidem

dem



dem partim in primis volatilia, statim adhibita, v. g. *spiritus fuliginis, cornu cervi, eboris*, partim media. Ita *tinctura bezoardica*, cum *mixtura simplici & anodyna* saepius profuit, & in principio saepius morbum iugulavit. Ea ipsa etiam possunt acui, vt inde fiat *mixtura simplex volatilis, tinctura bezoardica essentificata volatilis*. Hinc repeti potest, si ab assumpto tali medicamento tingatur sputum, leui cruore, id optimum esse signum.

Resolunt commode quoque, quamvis suo loco solum secundario, *acidula*; maximum enim in pleuritide arcanum est, vt tussim promoueamus, & conseruemus his medicaminibus. Hoc & ipse *Cous* dudum notauit, quando τὰ πικρὰ δίδοναι ὀξύτερα iubet, *portiones dandas esse acidiores, quo sputum e latere repurgetur*, illa ipsa enim & febrī, & inflammationi, & tussi debentur, ac viscedini. In primis instar omnium est *spiritus salis rectificatus, striatu*, per se potui inditus, & cum aliis remixtus. Par ratio est *clyssi antimoni sulphurati, tinctura bellidis, papaueris rhæados & similibus*: insuper & *spiritus nitri dulcis* in potuiculis & iulepis appropriatis.

Minus quidem commode id præstant *vitriolata*, vt *spiritus vitrioli*, quia magis simul adstringunt, & paulo acriora sunt; attamen & illum *P. Castellus* in epistolis mirum quantum dilaudat. Remisceri vero & hæc & illa cum primis cum aquis accommodis queunt.

Minus commode diuertit *Vena Sectio*, certis solum casibus instituenda. Quidam practici nimis rigorose, & statim illam imperant, absolute necessariam rentur, in ea vnice omnem spem locantes. Alii eam plane reiiciunt & damnant, vt *Helmontius*. Adeoque methode *Hippocratica* optimum est media incedere via. Habet itaque  
lo.



locum in initio, citra absolutam necessitatem, nec promiscue. Conuenit hinc in inflammatione magna, & pleuritide exquisita, superiori, corpore plethorico, reliquis consentientibus, dum adhuc in via est, & πρῶτα magis ὀσμώμενον, quam συστάμενον, in principio, alias minus.

Eligunt vero autores ut plurimum latus affectum. Sin secus fiat & vel intempestiue, vel indiscriminatum, vidimus inde peius habuisse ægros, promiscue adhibita, & sputum retardatum. Plurimos vero curauimus etiam citra Venæ Sectionem, maxime, cum ut plurimum tardius vocari soleant medici. Concedi facilius potest in venis raninis sublingualibus facta.

Non diuertunt & resoluunt commode purgantia, quæ ut plurimum pessime cedunt, ob morum plane contrarium & asymbolicum inductum. Ast commodius & diuertunt & resoluunt lenientia decocta & brodia, cum rad. scorzon. berb. cerefol. card. b. fl. scabios. additis fol. sennæ, quantum vires permittunt, & clysteres ex iisdem, ex decocto herbarum emollientium, cum drachmis duabus fol. sennæ electæ, quod itidem conforme est methodo Hippocraticæ. In spuria etiam pleuritide conueniunt eadem magis.

Diuertunt etiam minus commode vomitoria in pleuritide, proprie dicta. Quamuis enim Hartmannus & Rulandus magni æstiment eadem; attamen in abscessibus minus indifferenter conueniunt. Et si quid faciendum eo in casu est, magis conueniunt aliquando, quando dolores seu abscessus supra diaphragma sursum magis vergunt, ut qui infra sunt, per inferna, argumento 4. aphor. 18. magis vero præcordialibus istud quadrat.

Cum pleuritica olim fere suffocanda videretur, in bronchiis pulmonum superioribus hærente materia, cum  
strepitu



strepitu sonoro, dedimus sperma ceti recens cum tantillo tartari emetici, vnde statim liberabatur.

Diuertunt & reuellunt multo minus *cucurbitula scarificata*, quin augent fere potius malum; excipiendum tamen id aliquando est in spuria, vbi sicca admitti possunt. Nec vesicatoria facile hic locum habent.

Resoluunt & *flores sulphuris*, qui scopo tamen magis secundario, quam primario, quadrant; siccant enim magis, vnde rarius hinc, exceptis primoribus praxeos annis, illis vsi sumus.

Resoluunt etiam optime *bezoardica alia*, *tberiaca ipsa*, inprimis *caelestis*, *diascordium Fracastorii*, *specifica alcalina antipleuritica*, *puluis bezoardicus*, vel per se, vel cum *pectoralis*, cum *lapide de Goa*, cum *pleuritico* remixtus. Instar omnium est *puluis pleuriticus noster*, ex *dente apri*, vel *hippopotami*, *philos. præparato*, *antimonio diaphoretico*, quod optimum est resoluens, *oculis cancerorum*, qui ipsi etiam in omnibus vlceribus & casu ab alto sunt probati, *cinnabari nativa*, quæ est remedium neruinum; cui facile est iungere quoque alia, minus diffusa, cum selectu. Hic enim euporistus plus præstat, quam hinc inde descripti, etiam cum *floribus papaueris rbæados*. Nec illi tamen sua laude carent, vt *puluis pleuriticus Mynsichti*, *Rolsincii*, modo monita attendantur, quæ addemus.

Referrî huc potest & *sanguis birci*, tum communis, tum *Helmontiano* more, seu alio etiam, præparatus, *mandibula lucii piscis*, *sperma ceti*, *priapus cerui & tauri*, item *ex bellide minori* parata, & alia in casu ab alto alias commendata hinc inde.

Quod vero diximus de floribus sulphuris, & seorsim *nitrosa* concernit. Laudantur quidem illa communiter,



verum nostra sententia & experientia, respectiue factim, minus commode adhibentur promiscue. Enimvero non tam mitigant æque, temperando febrilem æstum, quam exacerbant. Fluxilem reddunt magis lympham; sed coctioni, seu *πρασμῶ*, minus velificantur, vnde vidimus ab ipsis ægros vt plurimum male habuisse, non minus ac a floribus sulphuris, præterquam in corporibus grossioribus.

II. *Dolores ipsi & lancinationes irritatiua spasmodica sunt mitiganda*, vt placatus & roboratus archeus debito modo morbo vt ouo incumbere queat, & illum subigere, satis resolueret & coquere. Non tam resoluum scilicet simul solum, sed & mitigandum, seu curandum, vt cum *εὐφορία* id fiat.

Resoluunt & mitigant *potiones*, ad mentem Syluii parata, ex aquis, spiritibus volatilibus, sirupis, laudano opiato, v. g. aqua cardui benedicti, Maria lactei, acacie, florum sambuci, papaueris rhæados, ulmaria, scorzonera, rasorum nigrorum, cum extracto cerefolii, scabiosa, cardui benedicti, bellidis, scorzonera &c.

Mitigant *emulsiones*, si dolor, vigilia & siccitas urgeant, e seminibus quatuor frigidis maioribus excorticatis, papaueris albi, amygdalorum dulcium, pro re nata: ne tantum refrigeremus, sed potius diluendo solum, & ventriculum simul respiciendo, defectum suppleamus, ne quid tamen nimis; addendis aquis laudatis, magisteriis cornu cerui, oculorum cancri, antimonii diaphoretici, dente apri preparato, cum sirupo papaueris simplici, vel alio, facta leni edulcatione.

Mitigant adhuc magis, temperant, alterant & resoluunt quoque decocta euporista & alia, ex herbis cerefolii, cardui benedicti, scabiosa, bellidis, flor. eiusdem bellidis, papaueris rhæados, bordeo, rasura cornu cerui, radice scorzo-

nura,



*vera, cum spiritu nitri dulci, sirupis scabiosa, papaveris rhæ-  
ados, granorum kermes &c.*

Mitigant optime *opiata*, sed refracte danda, inprimis in principio, largius paulo in progressu, vel declinatione: ita nempe ut resoluant, quod faciunt per se, & cum aliis inprimis, ob sal volatile, quo pollent simul, ut mitigent, non vero suspendant expectorationem, vel in crassent plus iusto sputum: hoc pacto omnino sunt panacea & specificum antipleuriticum. In liquida hinc forma etiam unctura *anodyna* per se varie, inprimis vero cum bezoardicis & resolventibus aliis h.l. exhiberi potest. Inter paregorica etiam interius *aqua florum chamomilla* laudari potest.

Mitigant etiam, leniunt & coquant *oleosa*, ut *oleum lini* summopere commendat *Rolfincius in cibimia*, quod pro vulgo concedi potest. Alias vero præstat *oleum amygdalorum dulcium*, siue igne expressum, & sic minus acre, indeque paratum *oleum bezoardicum*, per se, & cum pulueribus specificis bezoardicis remixtum longe optimum, aliaque interna. Sic & *butyrum ex cancris* paratum, *Krebs-Butter*, egregie se gerit, cum iusculis adhibitum.

Mitigant vero & *carminatiua* in pleuritide spuria, ut *essentia carminatiua* cum *traumatica* & *bezoardica* remixta: alias etiam magis externa hoc nomine habent locum.

Mitigant enim & egregie *Topica* externa, ut *linimentum paregoricum*, cum *oleo byoscyami* expresso, vel *plantaginis* factum, *unguentum dialthæe*, mixtum cum *theriaca*. Utrobique vero pondus addunt olea destillata, *anisi*, *carui*, *iuniperi*, *chamomilla*, *campbora* ipsa addita. Olea enim pingua mera externe adhibita parum profunt, quippe penetrantiora esse debent.



Mitigant superimpositi *sacculi paregorici*, ex radice *zedoaria*, *galanga*, herba *cerefolii*, herba & floribus *chamomilla simplicis* & *Romana*, *papaveris rhæados*, *verbasci*, *meliloti*, *baccis iuniperi*, *lauri*, *furfuribus triticeis*, *sale communi*, *semine lini*, *carui*. Sicca vero hæc & calida applicantur feliciter; grauiori dolore & cum lacte coqui possunt, ad maiorem emollitionem.

Tacemus *lac*, cum vesica bubula, lateri dolenti subinde applicandum, quod *Hippocrates* dudum commendauit, ad longius seruandum calorem, & folum continuandum. Cataplasmate vero ex *fermento* & *aceto* si placeat uti, quod nonnullis visum est, non nisi calide itidem id fieri debet. Emplastra vero in pleuritide vera rariora paulo sunt in usu, quamuis *emplastrum de meliloto*, vel *diachylon simplex*, innoxium sit, in spuria vero magis id valet & fieri potest, & ubi extrorsum abscessus vergit, introrsum enim minus penetrant.

III. *Materia suppurata & collecta in pulmonibus abstergenda, expectoranda, & partes speciales roboranda sunt.*

Enimvero sola expectorantia primario non habent locum, sed stant post principia, quod bene in praxi notandum; nihilominus tamen idem exequendum est debite, ut substent pectoralia bezoardicis & resoluentibus.

Expectorant hinc non bechica, arteriaca seu pectoralia vulgaria, pure pute talia, ut *linctus* v. g. & alia tussi debita, alia enim hoc loco est ratio. Hinc dari possunt *essentia myrrhe balsamica*, *essentia antimonii myrrbata*, *elixir pectorale*, imprimis cum *tinctura bezoardica* & *anodyna* remixta, sed potior habenda est ratio inflammationis & febris, in hoc enim consistit cardo rei; adeoque sub finem

mor-



morbi & in declinatione magis conueniunt, quam durante eodem.

Par ratio est similium, *essentia scordii, lignorum, traumatica, spiritus salis ammoniaci*, pro re nata, ipsius, saltem ne quid phthificum nec empyema succedat; *pulueris item pectoralis simplicis & balsamici*. Alia enim plane est tussis simplex solitaria, alia hoc loco pleuritica. Idem dixero de *oxymelle squillitico*, quod præsente materia viscida in catarrho suffocatio cum *aqua asthmatica Rolsincii* alias utile est.

Optima sunt hæc relative, intuitu abscessus facti, & pulmonum, ne quid relinquatur, & alio iam statu mutati abscessus, & inflammationis, unde pulueres ex *antimonio diaphoretico, oculis cancerorum, puluere bezoardico minori, & similia resoluentia* agmen claudunt, & cum his curam sigillant quasi opiata, quæ circa declinationem magis respectiue habent locum. Hinc & cauendum frigus ambientis aeris, vinum, ira, terror, aliaque, non omissis symptomatibus aliis, cum primis diarrhœa, si quæ se offerant, unde coronidem addit quies, & expectatio, curaueque valetudinis condecens.

SOLI DEO GLORIA.

---

CLARISSIMO M. le CERF

RESPONDENTI

S. P. D.

PRÆSES.



Erberus, apud antiquos Poetas & scriptores famosus, tum apud alios mythologos variam significationem.

C 3

catio.



cationem indeptus est, tum apud Medicos præcipue laudari meretur quoque non vno nomine.

Liceat mihi gemino applicare eiusdem ἐξοχήν loco & exemplo. Vna & insignissima explicatio quadrat ad artis diuinæ ἐγχείρησιν, seu in genere ad medicamenta.

Quis nescit, Cerberum tricipitem prædicari de purgante scammoniato & antimoniato pereximio, accessione tartari crystallorum satis recepto & bono, modo vtrumque illud aliter cicuretur & præparetur?


Dudum enim notatum est, non tam ab *Helmontio*, tantum amittere virtutis scammonium per fumigationem cum sulphure, quantum admisit inde acidi; quam ab aliis chimix gnaris, nullam sic fieri διάκρισιν inutilis ab utili, terreorum & excrementitiorum a resina, seu magisterio. Vnde & censuram meritus est ille Cerberus, isthoc modo præparatus, vt laudem, si genuinis artis legibus fiat.

Non tangemus iam sublimioris chimix longe elegantioremythologiam Cerberi tricipitis, nam ita præcipue descriptus legitur, quatenus exactissime processum sic delineat genuinum, quod Cerberus, seu draco hic, tribus catenis ligandus & fixandus sit, ad votum γυναικῶν operantium; quicquid contra illum vel deceptores suis nugis obiiciendum delinquant, vel alii ogganniant.

Ne tamen sine autore id eloquamur, *Petrus Iobannes Faber*, iam ante nos idem accurate satis tetigit, idque ab experientia longe rectius demonstrare licuerit, quos adeptorum verum nomen exornat. Hac vice Cerberum, æmulari maxime dolores corpus humanum excruciantes, & non raro funestos, asseremus.

Vt carniuori quasi tortores hi crudelissimi sunt, ita reuera Cerberum trifauci latratu æmulantur, quando quidem partes  
COR-





corporis triplices torquent & male habent, solidas, fluidas, & spirituosas.

Quemadmodum vero & tribus catēnis ligare illum licuit, ita & tria harum nomina expresse nota sunt, *paregorica*, solidas solantia, suavi *avaρopιδάσει*, & blande mulcendo; *anodyna*, sanguini & fero acri, acido, bilioso debita; & *narcotica*, spiritus efferatos & turbatos sulphure suo balsamico ligantia.

Tu quoque Herculem non vnum, & inprimis Nobilissimum *Parentem* æmulando, iterata vice & laude publicam cathedram conscendendo, trigam breui complebis, purpurea decorandus epomide; quibus meritis Tuis non modo intime gratulor, sed & a diuina gratia impetrandum animitus acclamo: FELICITER. Dab. e Museo MDCC XIV. D. XIV. August.

---


**W**EDELIUS, Fili, Theſibus qui  
præſidet iſtis

Si nunc te lenæ ſcandere pulpita  
vult,  
I Sequere: eſt Hic vir diuino numi-  
ne foetus,  
Iuſſaque WEDELIi ſint tibi Iuſſa DEI.

*Scribebat Parens*

PETRVS le CERF, Ph. & Med. D,  
Præcticus Francofurtenſis.





**L** Inquite Pierides Parnassia saxa vel vndas  
Castalias, alibi vester Apollo regit:  
Hunc ad se rapuit cantus dulcedine lena,  
Iena cothurnatis rota referta viris;  
Cernite Apollineos in Respondente lepores,  
Dignaque pro meritis dona referte bonis.

*Ita Praclarissimo atque Doctissimo Domino Magistro  
Respondenti, Fautori, amico, ac contubernali suo  
longe aestumatisimo, de specimine hoc egregiae erudi-  
tionis ex animo gratulabundus applaudere voluit*

**IOHANNES CHRISTOPHORVS RIECKIVS**  
Stuttgardienfis, Medicinæ  
Cultor.

---

**G**ens studiosa Tibi coelestia dona legendi  
Huc, mora nulla, Tuos accelerato gradus,  
Præsidis Ambrosios, en, fundunt dogmata succos,  
Et Respondentis nectar ab ore fluit.

*Gratulabundus apponebat Domino  
Magistro Respondenti*

**IOH: BALTHASAR FAVST, Argent.**  
Alfatus S. S. Theol. Cult.